



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 80. Bellum contra Gallo-Hispanos a foederatis continuatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

scopos. Ceterum hæc Pontificis Con-  
 stitutio illis, qui eam desiderarunt, Sæc. XVII.  
 A. C. 1705.  
 triumpho argumentum, illis vero, qui  
 per eum damnati fuere, nova opposi-  
 tionis materia existit; dicebant enim  
 alii, controversiæ caput non esse deci-  
 sum, alii decisionis vim vituperiis, ca-  
 lumniis, & aperto Sedis Apostolicæ  
 contemptu infringere moliebantur, at-  
 que ex iis Withu, Licentiatus Lova-  
 niensis petulantius, hanc Bullam ap-  
 pellitare non erubuit *opus tenebrarum*  
*Antichristo dignum*, quo vera Christi gra-  
 tia destruitur, & Pelagianismus stabi-  
 litur: in Galliis quoque Episcopus S.  
 Pontii in Occitania hanc Constitutionem  
 acceptare renuit. eoquod viginti tres  
 Episcopi Anno 1667. pro obsequioso si-  
 lentio stetissent, ejus tamen edictum  
 ad Diæcesanos missum unacum ipsius  
 epistola ad Atrebatensem scripta Anno  
 hujus sæculi nono fuit condemnatum.

§. LXXX.

*Bellum contra Gallo - Hispanos a  
 fœderatis continuatum.*

Diffluente gaudiis Vienna ob gemi-  
 nam prioris anni victoriam, cædi-  
 bus immaduit Bavaria; cum enim Im-  
 perator copias suas e Bavaria maxi-  
 mam partem in Italiam traduceret,

*Theatr. Eu-rop. t. 17.  
 pag. III.  
 Briet. contin.  
 Annal.  
 pag. 1018.*

Sæc. XVII. rustici amoris ac fidei erga veterem  
A. C. 1705 suum Principem haud oblitum, Austriacum

*Burnet t. 5.*

*pag. 354.*

*Lambert t. 3.*

*pag. 614.*

*Quincii t. 4.*

*pag. 569.*

Domini imperium impatienter ferebant, Primo quidem secretæ audiebantur indignationes, dein ad publicas criminationes, apertosque tumultus res excessit. Ex tumultuaria horum agitatione Bavaricæ Ordines tetram præfagebant tempestatem, quam ut prævenirent, Deputatos Viennam decrevere, qui rusticorum querelis satisfieri, & patriam ab immodicis exactiōibus sublevari peterent: Equidem Imperator Löwensteinium Comitem, prudentia, & moderatione singulari Virum, totius Bavaricæ Administratorem constituit, data eidem plena facultate, cuncta pro rerum exigentia disponendi simulque rusticis, priusquam vi & armis uteretur, publicam fecit facultatem petendi, quid e re ipsorum arbitrarentur, eo autem obtento quiescerent. Discesserat eodem tempore Monacho Electrix Theresia Cunigunda, ut Matrem suam Mariam Casimiram Viduam Poloniæ Reginam Roma reducem Venetiis salutaret: interim vero plures Bavari exercitus Duçtores Monachium venerant, qui se exauctōratos esse, nunc vero Electrici suæ obviam procedere jactabant, arcana autem consilia contra Cæsareos unacum Neisingero fove-

fovebant, armaque variis in locis parata tenebant: Concepta tumultus suspicionem excitabatur vigilantia Löwenstennii Gubernatoris, cujus jussu Nobilium, civiumque ædibus perlustratis magna armorum copia variis in locis abscondita reperiebantur; ac insuper Barone de Lirr, aliisque duobus Consiliariis Donawerthæ captis, inter eorum literas & chartas tota conspirationis series deprehendebatur, insuper ex interceptis aliis literis, & exterorum aliquot detentione, qui rem peracturi clam convenerant, innotuit, quod ex condito Cæsaris præsidia trucidare decretum fuisset, mox ergo Palatini Electoris copiæ, quæ in Italiam contendebant, inde in Bavariam revocantur, Monacenses incolæ armis exuuntur, Electrici autem, cum clandestini tumultus conscia crederetur, ad Carinthiæ fines properanti, ne in Bavariam rediret, a Cæsare interdicitur, simulque Monacensis Præfectura, perinde ac si in commissum cecidisset, eidem eripitur: Præterea querebantur Austriaci, pacta nuper Landavii inita minus integra fide fuisse servata, Monachii, Wasserburgi, aliisque in locis defossa pro conjuratis arma, machinas bellicas, ingentemque nummorum congeriem, quarum ope cives ad insurrectionem

Sæc. XVII.  
A. C. 1705.

Sæc. XVII.

A. C. 1705.

rectionem animarentur; insuper exprobrabant, oblatam rebellibus Hungaris seditionis societatem, sollicitatos per literas Bohemos, ex spoliis Tyrolensibus complura fuisse retenta, bellicque tormenta Æniponto, Kuffsteinio, aliisque urbibus contra pactio-  
 nium fidem abstracta: Vicissim Bavari querebantur, immodicis pecuniarum exactio-  
 nibus patriam exhauriri, Electrici pretiosa quæque fuisse erepta, Nobiles Matronas ædibus suis ejectas, suppellectile pretiosa exutas, monetalis officinae instrumenta Viennam abstracta, Electricam patriam exclusam, & pactiones cum ea initas fuisse violatas. Doluit insuper Bavaris Religionis Catholicæ studiosissimis, quod Dani, Brandenburgici, aliique Lutherani, qui in Bavaria & superiori Palatinatu apud agrestes stertiva agebant, ludibria, uti in Bavaram Nationem universam, ita & in Catholicorum sacra ritusque effræni petulantia spargerent, atque ideo rustici Cæsarem, cujus stipendia merebant, nimis innexum dicebant. Postremum vero decretæ conjurationis incitamentum erat Löwensteinii edictum, quo præceptum, ut omnes innupti juvenes ab anno ætatis decimo octavo usque ad trigessimum quintum die vigesima quinta Septembris in condito loco

convenirent, atque ex illis duodecies Sæc. XVII.  
 mille sacramento militari obstricti in A. C. 1705.  
 Italiam, atque in Hungariam mitte-  
 rentur: Tum vero communis omnium  
 erat ira & consternatio: alii profu-  
 giunt in sylvas, potissimi clam confe-  
 runt capita, Principum liberorum,  
 Electoris & patriæ, liberandæ consilia  
 agitant, urbes designant ope civium  
 intercipiendas; & quamvis variis in  
 locis dispersi, cæsi, captique fuissent,  
 nihilominus publicis literis cunctos ad  
 arma in patriæ defensionem capeffen-  
 da excitarunt, & annonam ac copias  
 contulerunt, eorum numero jamjam  
 ad triginta millia & ultra excurrente,  
 postquam vero Cæsaris copias magno  
 numero imminere intellexerant, pactio-  
 nem facturi suos Deputatos Monachium  
 ablegarunt, cum vero totius Bavarix  
 restitutionem & integram populo liber-  
 tatem unacum Tyrolis accessione pro  
 dâmnis illatis peterent, repulsam passi,  
 potius generosa morte, quam lento  
 alieni imperii cruciatu confici malue-  
 runt: demum Monachii primum erupit  
 conjuratio, dum Herbevillius, armo-  
 rum per Bavariam Præfectus, decem  
 millium præsidium urbi imponere nite-  
 batur; tunc enim cives ad arma con-  
 clamare, portas venienti occludere,  
 tormenta, stationesque per mænia di-  
 sponere

**Sæc. XVII.** sponere, cunctaque ad defensionem in-  
**A. C. 1705.** fruere. Monentur a Lævensteinio per  
 hominem die decima nona Decembris in  
 urbem missum, positis armis, apertis  
 que portis præsidium reciperent, nisi  
 una omnes perire, urbemque in cineres  
 redigi vellent. Hisce minis territi pa-  
 rent; jubentur arma publicum in forum  
 comportare: conceditur civibus venia,  
 præcipui tamen conspirationis Autho-  
 res conjiciuntur in vincula, atque inter  
 eos etiam duo Consiliiarii: Horum ta-  
 men exemplo ac suppliciis non terre-  
 bantur rustici, qui Monachium recu-  
 perare intenti, partitis agminibus noctu  
 Kelheimium intercipiunt, ac cæsis ca-  
 ptisque præfidiariis cives imperato tri-  
 buto ad redimendum urbis incendium  
 adigunt, dein ductore Krausio lanione  
 Wasserburgum, Burghusium, & die  
 vigesima octava Novembris Brunoviam  
 ac demum die quarta Decembris Schar-  
 dingam occupant: nec his contenti,  
 Brunovixæ belli Senatam habent, atque  
 ex quolibet districtu Nobilem, Paro-  
 chum, & rusticum adesse jubent, ut  
 unacum duobus Consiliiariis Burghu-  
 sianis de patria a Cæsareis vindicanda  
 collatis consiliis deliberarent: Ex ho-  
 rum suasu Monachium ipsa Nativitatis  
 Dominicæ vigilia junctis viribus ag-  
 gredi decernunt, jubentque, ut plus-  
 quam

quam viginti rusticorum millia ad diem <sup>Sæc. XVII.</sup>  
 vigesimam sextam Decembris prope <sup>A. C. 1705.</sup>  
 Monachium convenirent: cum autem                       
 continenti pluvia rivi exundarent,  
 ægre quatuor millia die præstituta ur-  
 bem quaterere inceperunt, jamque pon-  
 tem Isaranum occuparunt. Verum de  
 horum adventu per Starenbergium e  
 vinculis elapsum, Löwensteinius jam-  
 jam certior factus, tumultuariam ho-  
 rum vim facile elusit, unde rustici nu-  
 mero inferiores, cum præsidium Cæ-  
 sareum a fronte, & subsidiariæ copiæ  
 magno numero accitæ eorum tergis  
 instarent, Sendlingam usque sese rece-  
 perunt, a præsidiariis cum ingenti  
 clade repulsi, ceteri, quibus ferrum  
 pepercerat, in genua bis provoluti  
 vitæ veniam exorarunt, sed toties De-  
 bentius, & Kriechbaumius sclopeta in  
 eos immitius, quam Christiana mode-  
 ratio postularet, exonerari, & sexcen-  
 tos adhuc superstites, in vincula dari  
 jussit: octavo post die alii prope Vils-  
 hovium & Allerspachium cæsi sunt,  
 & Monachii, ex conjurationis auctori-  
 bus, alii laqueo, alii rota, & quadri-  
 fariam secti variis in locis ad cetero-  
 rum terrorem suspensi periere, & non  
 pauci capite plexi sunt, urbes, quas  
 ceperant, deditæ, Monachii & Bru-  
 novia

Sæc. XVII. novix munimenta penitus diruta, om-  
 A.C. 1705. nesque armis exuti.

Interea Galli Homburgum & Ma-  
 ximilianus Emanuel Bavarix Elector  
 die decima Junii Hujonum expugnavit,  
 ac Leodium ingressus, arcem obsidere  
 cæpit, audito tamen Marleburgi ad-  
 ventu vasa collegit, suaque castra post  
 Hagenoam per Badensem captam repe-  
 tit: mox vero Marleburgus die vigesi-  
 ma quarta Julii Hujonum deditio-  
 nem recepit, & aggeres, queis se Galli ad  
 Mosellam tuebantur, perrupit, pluri-  
 mosque captivos abduxit, aliis Lovan-  
 nium versus refugientibus. Tillemont-  
 tium quoque se Cæsareorum arbitrio  
 permisit, decimo autem post die Ba-  
 varus Marleburgum aggressus, eum  
 cæcis quadringentis in fugam egit, ac  
 die vigesima octava ejusdem Mensis e-  
 dicto per Belgium promulgato vetuit,  
 ne Cæsaris vel Imperatoris nomen re-  
 gnanti Josepho tribueretur, eoquod  
 Monachium Cæsaris nomine occupa-  
 tum fuisset.

In Italia Galli magis prospera ute-  
 bantur Fortuna; expugnatis enim Mi-  
 randola, Villafranca, & Nicæa Vau-  
 demontius Clavadium cepit, ac Turin-  
 num quatere statuit, obsidionem ta-  
 men solvere coactus est, ut sese oppo-  
 neret Cæsareis, qui in Ducatum Medio-  
 lanen-

lanensem irrumpere festinabant: Jam enim Eugenius Princeps trajecta Abdua Sabaudo opem ferre paratus, cum Gallis ad Cassanum prælium iniit, victoriam tamen utrinque cæsis quam plurimis uterque exercitus sibi arrogavit, Carolus vero Hispaniæ Rex destructa Gallorum classe cum Lusitanico exercitu Albam, Sanasium, Valentiam Alcantaræ, & Albuquerqueium necnon Barcinonem deditione cepit, ab obsidione tamen Pacis-Augusti a Tesleo Hispaniæ Marefcallo repulsus est.

Sæc. XVII.  
A. C. 1705.

§. LXXXI.

*Stanislaus in Polonorum Regem coronatus.*

Postquam Sueciæ Rex die vigesima sexta Julii Polonos, Moscos, & Saxones, Mitavii, & ultima ejusdem Mensis prope Varsoviam ingenti clade protriverat, Stanislaus Lescinsky hostium suorum metu solutus, Regni diadema sibi suæque uxori Catharinæ imponi procurabat: Hanc in rem Cardinalis Radieswius Poloniæ Primas ad diem quartam Octobris Regni comitia indixit, ut exauctorato Augusto Rege Stanislai a foederatis electi inauguratio perficeretur. Ea res Pontificis animum intimo percussit dolore; quocirca

Cardi-

Hode Hist.  
de Louis  
XIV. l. 57.  
Theatr. Eu-  
rop. t. 17.